

QUÆSTIO IV.

Quare primum miraculum, quod de D. Petro scribitur, sanitas est huius claudi?

20. Divus Petrus forsitan multa alia miracula edidit antecedenter, tamen multo mysterio plenum est; cur primum ejus miraculum, & valde celeberrimum est sanitas huius claudi, ad quod

21. Eleganter respondet D. Ambrosius serm. 69. & sic ait: Si ergo Petrus petra est, supra quam edificatur Ecclesia, recte prius pedes sanat, ut sicut in Ecclesia fundamentum ab homine fundamento in eipit.

22. Cum primum venisset Petrus ad Jesum, qui intuens eum ait illi: Tu es Simon filius Iona, vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. 1. Ioan. 1. num. 41. Si ex eo dicitur Petrus, quia futurus erat Ecclesie fundamentum, quod hoc nomen deducitur à petra. Tu es Petrus, & super hanc petram, Matth. 16. si ita dicitur ob stabilitatem, & firmitatem, cur non dicitur columna ferrea, murus æreus, ut factum est ad Jeremiam 1. num. 8. quæ fortiora, & validiora sunt, sed tantum ei imponitur nomen deductum à petra. Christus Dominus nuncupatur 1. Corinth. 10. num. 4. Petra autem erat Christus. Volens ipse Dominus expolire, ac præparare Petrum, ut esset Ecclesie fundamentum, à suo proprio nomine eum vocat Petrum, ut tanquam à fundamento exurgat ædificium proportionatum Domino suo. D. Paschas. lib. 6. in Matth. sic ait: Non ex aliunde nomen Petro datur, nisi à petra, que dicitur Christus Iesus, ut ab ipso suo principio discat Christo adhaerere, eumque semper imitari. Cum ergo Christus sit Ecclesie fundamentum, ut ait Apost. & ab ipso Petrus constituitur fundamentum illius, inde ab ejus nomine nuncupatur.

QUÆSTIO V.

Quare tam celeriter huic claudus datur sanitas perfecta?

23. Ad portam speciosam sedebat claudus eleemosynam postulans, cui Petrus dat sanitatem valde consummatam, ac perfectam ut statim dicitur: Apprehensa manu ejus dextera allecavit eum, & protinus consolidata sunt bases ejus: & planta, & exiliens stetit, & ambulabat. Non solum firmus, ac validus ad gressum, sed etiam expeditus ad saltus: Unde tanta celeritas in sanitate istius, cum sæpe videamus, quod Christus Dominus in suis miraculis perpetrandis aliquam moram interposuit, Cæcum à nativitate misit in natoriam Siloe Ioan. 9. n. 7. Leprosam ad Sacerdotes Luc. 17. Cæco in Bethsaida bis imponit manus Marc. 8. num. 23. & huic homini etiam ante ejus preces datur perfecta, & omnimoda sanus?

23. Præclare respondet Richard. de S. Laurentio l. 10. de laudibus Mariæ, titulo, In eo Templo. Sic ait de Virgine Maria. Ipsa designatur per portam templi, qua dicitur speciosa, Act. 3. ad quam debemus sedere, & mendicare exemplo illius claudi, quem sanavit ibi

Divus Petrus, dicens ei. In nomine Iesu Christi Nazareth, surge, & ambula. Cum illa porta speciosa præfiguraret Sanctissimam Virginem, ibi salus facillior, ac promptior; at ubi umbra huius Virginis deest semper aliquando salus tardior, ut ex hoc discamus, quantum ex præsentia Mariæ omne malum propullatur, & omne bonum velocissime protegens, & defendens currit.

Dicitur Psalm. 77. num. 23. Janua Cæli aperuit, & pluit illis ad manducandum, & panem Cæli dedit eis; panem Angelorum manducavit homo, Cibaria misit eis in abundantia. Et unde tanta saturitas, ac affluentia panis, aliarumque rerum, à Regina Cæli Virgine Mariæ, quæ ibi præfigurabatur, ita ait Rupertus lib. 1. de gloria, & honore filij hominis, quando factum est, quod dixit Angelus Mariæ, concipies, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum, tunc janua Cæli aperuit, & pluit illis manna ad manducandum, panem Cæli, & panem Angelorum manducavit homo. Ecce ubi Virgo Mariæ Dei Mater facta est, Cælestibus nos saturavit panibus. Tamen nunc in quæstionem voco, quod quando Cælestis panis ministratur per manus Virginis Mariæ dicitur pluere: Pluit illis ad manducandum; at quando scribitur à Deo datum, dicitur descendere; Cumque descenderet nocte super castra vos, descendebat pariter, & manna. Num 15. num. 9. In descensu moras trahit, pluvia vero rapidissimo impetu fertur; inde quæ veniunt per manus Mariæ pluvie comparantur, quia aliquando velocius, quam quæcumque alia veniunt. D. Anselm. lib. de excellentia Beatissimæ Virginis Mariæ cap. 6. in fine sic ait: Velociusque nonnunquam salus memorato nomine Mariæ, quam invocato nomine Domini IESU unici filij sui.

De suo dilecto Sponso clamat Anima sancta: Ecce iste venit saliens in montibus, transiens colles. Cant. 2. num. 8. tamen David adhuc clamat, & rogat. Surge Domine in requiem tuam tu, & Arca sanctificationis tuæ Psalm. 131. num. 8. Si ipse venit tam celeriter, ac festinanter: Saliens in montibus transiens colles, cur David postulat, ut exurgat ipse, & Arca sanctificationis, ac si quiesceret, & non veniret: exorat tamen, ut veniat ipse cum Arca sanctificationis suæ, quæ est Sanctissima Virgo Maria, D. Helychius Hierosolymit. homil. 2. de Deipara ait: Surge in requiem tuam, in, & Arca sanctificationis tuæ, que est haud dubie Virgo Deipara; sicut enim tu es gemma, merito illa est Arca, est Divinum Verbum velociter venit in salutem generis humani: Saliens in montibus, transiens colles, tamen exurgens cum Arca sanctificationis suæ Deipara velocissimus est cursus, ut multo antea, ut omnia sua Cælestia dona per manus Sacratissimæ Mariæ dispensentur, ac diffundantur; nam, ut ait: D. Bernard. sæpe citatus: Omnia nos voluit habere per manus Mariæ: & inde Divina Providentia factum est, ut cum meus IESUS penderet in Cruce. Ipsa stabat juxta Crucem Ioan. 19. n. 25. Carthusianus de laudibus Mariæ lib. 2. ait: ut per ipsam, hoc est per preces ejus, ac meritâ, virtus, ac meritum Passionis Christi communicetur hominibus.

Act. 3. n. 4. Intuens autem in eum Petrus cum Ioanne dixit: Respice in nos. N. 5. At ille intendebat in eos sperans se aliquid accepturum ab eis.

VERSIONES.

Syriacus n. 4. Et respexerunt in eum Petrus, & Ioannes, &c. nos tuere.

Arabicus

Arabicus. Dixerunt ambo: respice in nos. Ethiopic. Conversi sunt Petrus, & Ioannes Græcus. Fixis oculis. Syriacus n. 5. Cum sperans esset, ut aliquid acciperet. Ethiopicus. Quod darent ei secundum desiderium suum,

EXPOSITIO III.

27. Ver. 4. Nivens autem in eum Petrus cum Ioanne. Hi duo Apostoli intuiti sunt eos, ut exprimitur Syriac. Arabicus Ethiop. & fixis, ac immobilibus oculis, ut legit Græc. & videre, ac aspiceret semper in bonam partem sumitur, ut dicat quæstione sequenti in limine, Dixit, scilicet Petrus, ut notat D. Chryso. ut pote sehiôr ætate, ac graviore dignitate sæpe his major, ac primus esse dicendi locus, Respice in nos, Interlinealis; Hugo respice in nos, ut in pauperes, à quib. nihil est sperandû, merito improbat Lyranus, quia si Petrus ita respondisset, nullam haberet claudus spem recipendi aliquid ab eis, cû contrariû constet ex versu sequenti.

Et ideo melius dicendum est cum Isidoro Claro, Lyrano, Lorino, quod D. Petrus dixit: Respice in nos, ut claudum attentiore faceret ad magnitudinem miraculi, & ut cognosceret, quod miraculum operabatur non virtute ipsorum Apostolorum, sed sanctissimi nominis IESU, ut ita gloria miraculi, ut ait Carthusianus, non tribueretur Apostolis, sed sanctissimo nomini IESU: Non nobis Domine, sed nomini tuo da gloriam.

29. Ver. 5. At ille intendebat in eos. Syriacus intuitus est eos, & ratio subditur: Sperans se aliquid accepturum ab eis; nam ex illo verbo Petri claudus concepit spem aliquid recipendi; sed Petrus, ut Christi discipulus plus dat, quam claudus conceperat, ac cogitaverat, sanitatem nempe.

QUÆSTIO VI.

Quare cum solus Petrus loqui tur, non ait claudus, respice in me, sed respice in nos?

30. Notandum in limine quæstionis, quod hoc verbum respicere, videre, & aspiceret, frequenter in scriptura sumitur in bonam partem Psalm. 83. n. 20. Proceptor noster aspice Deus. Psalm. 79. n. 15. Respice de Cælo, & vide, & visita vineam istam. Psalm. 21. n. 1. Deus, Deus meus respice in me. Sic respexit Deus Abel. Genes. 4. n. 4. sic Matth. in telonio Matt. 9. n. 9. sic Petrum, Andream, Ioan. & Iacob. Matth. 4. n. 18. Quæstio tamen inquiri: Quare cum D. Petrus solus loquatur cum claudus, cur ait respice in nos, nempe in ipsum, & Ioannem: Si Petrus disponebat dare salutem claudus, cur sua voce, vel manu apprehensa totum hoc non præstat, cum sola ejus umbra multi incolumés facti fuerint, cur tanquam quid prævium miraculo præcipit: Respice in nos; ad quid intuitus oculorum antecedens ad miraculum? literalem rationem jam dedi in expositione, moralem quæro.

321. Primo D. Basil. Seleucus orat. 2. sic ait: Petrus inquit Respice in nos obolorum captator, desideriosum claudus jubet nonnihil lucelli curam remittere. Ne inquit obolos modo quaesieris: gratia mendicis esto, non pecunia. Petrus celestium donorum dispensator, ut celestem sanitatis gratiam huic claudus concedat accepturo imperavit in se, ac Ioannem (quartu præsentia quid divinû odore exhalabat) attentius oculos defigere, & ita nonnihil lucelli curam remittat, ut celestem sanitatis gratiam valeat recipere. Cupiditas radix est omnium malorum, obstaculum ad divinâ

munera recipienda, cumque illam teneret claudus petens pecuniam, ut celestis beneficii fieret capax, jubet Petrus nonnihil lucelli curam remittere. Dixit Deus ad Abraham Genes. 12. n. 1. Egredere de terra tua, & cognatione tuâ faciam te in gentem magnam, id est: Egredere de terra tua, ut ingrediaris in magnalibus Dei; & sic legit Pagnin. Vade tibi à terra tua. Quæ phrasis, ut notat Caiet. significat præceptum Cajetan. in utilitate Abraham.

33. Secundo idem D. Seleucus ad citata verba: Respice in nos obolorum captator desideriosum claudus jubet nonnihil lucelli curam remittere, & post pauca subdit: Ne pecuniam quaesieris, quam dare non habeo: roga malis exolvî, cujus rei gratia necum communicata est. Magnalia divinæ gratiæ, quæ in die Pentecostes facta sunt in Petro, ac cæteris Apostolis, & multa prodigia, & signa, quæ faciebant, ut dicitur supra Act. 2. n. 43. Unde ipsi Apostoli habeant magnâ gratiam, ac laudem apud omnem populum citato c. 2. n. 46. quæ omnia totam civitatē Hierosolymam impleverant, quæ sine dubio ad aures claudi pervenerunt cum ipse sederet in foribus templi mendicans: ne pecuniâ quaesieris, quâ dare nō habeo; roga malis exolvî, cujus rei gratia necum communicata est. Sic cæca auri cupiditas humana corda tenet, ut magis anxiosa curis defarigetur in pecuniis acquirendis, quam in salute corporis, & animæ comparanda. Desidiosus claudus, nō de salute curat, sed de pecuniâ acceptanda; hanc omnibus aliis præferens miser Iudas agnoscens suum grande, & execrabile nefas: Proiecit argenteis in templo recessis, & abiens laqueo se suspendit. Matth. 27. n. 5. miser sui oblitus se ipsum perdidit laqueo strangulatus, de pecuniâ curat potens eam in templo tanquâ Drogo. in loco sacro, & tuto, Drogo Hostiensis de Sacramento Passionis sic ait: Ecce infelix qualiter excacatus est; maluit se ipsum perdere, quam denarios perire denarios in templo, se ipsum laqueo addixit.

34. Tertio idem D. Basil. Seleucus citata orat. 2. sic ait: Respice in nos recte communis; siquidem cum utroque miraculi effectio, ex utroque curationis profecta est gratia, et si enim solus loquitur Petrus, tamen adiutor est Apostolus. Respice in nos. Nota utriusque Apostoli comitatem: Joannes primas cedit Petro, ut seniori, ac Apostolorum Principi, ut dicat claudus, & surge, & ambula in nomine IESU Nazareni, & Petrus singulari urbanitate Ioannem manifestat cooperatorem miraculi dicens Respice in nos. O stendens miraculi gratiâ ab utroque manare, & ita alter erga alterum decertat comitatem, sicque duo hi Apostoli cælesti urbanitate, ac divina politia se invicem honorant, ac reverentur. Sic ait D. Paulus Roman. 12. n. 10. Honore invicem prævenientes; juxta præceptum charitatis, de quo Apostolus immediate antea egerat, ut unusquisque alteri vicissim præveniat honorando, tanquam concedentes in honore impendendo, D. D. Ansel. Ansel. ibi. Unusquisque festinet alium magis honorare, quam honorari ab illo, & majori ei reverentiam exhibere, sibi que illum præferre, & ille similiter huic faciat.

35. Quarto idem Divus Basil. Seleucus ad citata verba sic ait: Recte communis; siquidem eum utroque miraculi effectio, ex utroque curationis profecta est gratia. Ad quid ait Petrus claudus Respice in nos. Ipse solus sufficiens erat ad miraculum perpetrandum, multa majora ipse per se solum edidit; nec enim ad hoc ullius ope indigebat, cur ostendit suâ potestatem hic, & ait respice in me, siquidem ipse solus dedit claudus manum, eique dixit: Surge, & ambula. Tamen Petrus bonus Christi discipulus, & ejus lacte enutritus, non vult solû esse in laudibus, sed in eis coapostolus ejus Ioannem secum habet socium, ut gratiæ, & excellentiæ utriusque referantur; indeque ait: Respice in nos, ut notat D. Chryso. homil. 8. in acta H. Apostolo

Lacrum peccunia impeditur

H. Apostolo



Apostolorum, sic ait: Vide aequitatem quomodo ostendit Petrus statim, & dixit, Vide nos. Pondera aequitatem, quam declarat Petrus cum aliis.

36. Cant. 4.

Laudat Divinus Sponsus in sua Ecclesia unum oculum: Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum. Cantic. 4. numer. 9. tamen in ea celebrat duo ubera cum duobus gemellis: Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreae gemelli, qui pascuntur in liliis. Ecce in Ecclesia commendatur unus oculus, per quem magna Doctorum pars intelligit lumen fidei, quod unum tantum est in Ecclesia; at in ea duo ubera decantant à quibus pendent, non diversi, sed duo hinnuli gemelli; quia verus filius Ecclesiae Dei, sic de ejus uberibus, ac bonis impletur, ut secum patiat, ac velit, ut alius etiam de ejus donis impingatur, tanquam gemellus frater; & dicunt sicut hinnuli capreae, quia, ut notat Gualterius, dom hinnuli fugunt matris lac, unus non pugnat cum alio, sed potius congaudet: sic Ecclesiae filij dum illius bonorum sunt participes, alios consortes esse gaudent tanquam gemelli fratres. Gilbertus Abbas ferm. 27. in Cantic. sic inquit: Ideo dicuntur gemelli, quia fides nullis gradibus separatur, quos aquae regenerat; Alioquin quis nescit esse gemelli, effecti sunt nulli, & in convivio locum occupantes primum, jam nec habent novissimum. Vide cap. 1. quaestio. 34. num. 243. 244. & 245.

Insuper vult alios habere socios in dignitate. Grisser. Gilbert.

QUAESTIO VII.

Quare in hoc claudo depingant sancti Patres malos Ecclesiae ministros.

37. D. Chryl. Ex temporaliu affectu damnantur Sacerdotes Synagoga.

In hoc claudo considerat D. Chryl. ostomus in praesenti mores Sacerdotum Synagoga, & sic ait: Tales quidem erant, & Iudaei claudicantes, & opus erat illis petere sanitatem, isti magis opes petebant, huius jacentes, qui & propter hoc templo assidebant, ut direrentur. Illi in templo astabant, templo serviebant, non ob salutem animae, sed propter temporalia lucra, & verè tanquam hic miser claudicantes, homi jacentes, & à recta salutis via deficientes.

38. Reprobantur Sacerdotes, qui non de spiritu sed de lucra agunt. Huius cap. 1. D. Ambros.

Proh dolor tales sunt hodie multi Christiani ministri, qui in templo versantur, & serviunt, non ut Deo serviant, sed ut suae cupiditati, ac avaritiae inserviant; non de salute animae cogitant, sed de terrenis possessionibus comparandis, verè à celestis via claudicant toto animo in terrenis demersi. Hos maxime arguit Huius juxta septuaginta capite primo, numero 22. Caupones tui miscent aquam vino. Quae verba expendens Divus Ambrosius ferm. 78. ait: De illis Cauponibus loquitur, qui praesunt Ecclesiis, non tabernis. Istos ergo Caupones Propheta arguit, & objurat, & queritur eos vino aquae speciem permiscere. Hoc increpat in eis, cum functionum Divinarum essent Praesides, sectatores facti sunt humanarum. Qui nempe Vinum Divinae Charitatis permiscerunt cum aqua temporalium rerum.

38. 1. Cor. 9.

Valde enim alienum est à Dei ministris, ut terrena sapiant, & querant, ait Paulus 1. Corinth. 9. nu. 13. Nescitis, quoniam qui in Sacrario operantur, quae de Sacris sunt edunt, & qui altari deserviunt, cum altari participant. Ecce Dei ministri de Sacrario, ac altari dicuntur participare ad corporalem sustentationem: At cur Doctor gentium tanquam magnus Magister clarius non dixit, quod debent alimentari de rebus oblati in sacrificiis à fidelibus, sed tantum de Sacrario, ac altari mentionem facit, ne offenderet Dei ministros videretur, supponens quod in eorum cogitatu aliquid temporale esset, praeter id, quod erat Divinum, ac Sacrum, & quod in ipsis oblatio-

Alienum ab Ecclesia ministris pecunias insendere.

nibus prius intendebant id, quod erat in Dei obsequium, quam id, quod erat ad eorum obsequium temporale? Eleganter Theophylactus ait: Non dixit autem ex offerentibus eorum, sed ex Sacrario, ne accipientes pudeant, ut qui ab hominibus alerentur.

Aetor. 3. n. 6. Petrus autem dixit: argentum, & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Jesu Christi Nazareni surge & ambula.

VERSIONES.

Arabicis. Sane, argentum & aurum, non inventuntur apud me, sed quod mihi est, quodque possideo.

Aethiopicis. Quod habemus dabitur tibi. Syriacus. In nomine Domini nostri surge, & ambula.

EXPOSITIO IV.

Verf. 6. Petrus autem dixit, argentum, & aurum non est mihi, ut notat Glossa, ut bonus discipulus, servans sui Domini mandatum: Nolite portare aurum, & argentum. Matth. 10. n. 9. quod autem habeo ex potestate, ac facultate à Domino Jesu Christo, Marc. 16. In nomine Jesu Christi, in virtute hujus sanctissimi nominis surge, & ambula. Hanc autem potestatem faciendi miracula habebat D. Petrus non per modum habitus (nullus enim habitus potest physice miracula perpetrare.) Sed per Dei potentiam assistentem, sibi que paratam, ut quoties ipse vellet, miracula operaretur.

40. Glossa. Math. 10. Marc. 16.

QUAESTIO VIII.

Quare D. Petrus antequam claudam à sua miseria sublevarit testatur se aurum, & argentum non habere?

Ex quo motivo D. Petrus antequam claudam sanitatem impetret, de se testificaret se ipsum vacuū esse argento, & auro, & de illo nihil omnino se habere, ut largiretur, quia terrenis facultatibus careret, easque sub pedibus conculcasset, veluti si afferat, qui argentum, & aurum non est mihi, habeo caelestia, ut tibi donem. Balduinus in Allegor. apud Tilman. sic ait: Balduin. Digna vox principatu Principis Apostolorum, Principis Ecclesiae. Quid Petro, & auro nomine Petrus dixit: nos reliquimus omnia, quid ergo erit nobis? de mercede quaerenti, non aurum promittitur, & argentum; haec enim contemnebat, quia in gloria gentium superbiebat. Unde & Summa pauperum agrorum pretia ad pedes ipsius, ac cateris à fidelibus proponerentur, meritoque ante pedes, quasi pedibus conculcanda, quae indigni erant, vel manibus tractare summa paupertas Apostolica, ut ne valorem ipsius pecuniae bene agnosceret, ideoque prius nominat argentum, quam aurum.

41. Chroma. Mundi paupertas dat restatem.

Ad idem perbellè Chromatius ferm. 1. de hac re: O verè beata paupertas, quae cum nihil de mundi facultate habeat, tantum de Caelo largitur: non dat quidem argentum, vel aurum, sed quod plus est divitiis omnibus, caelestem reddit corporis sanitatem. Unde tanta potestas, ut det homini sanitatem, quae quidem pretiosior est omnibus temporalibus divitiis, non ex auro, & argento, sed ex eorum contemptu, ac paupertate.

Ait Regius Vates Psalm. 118. verf. 37. Portio mea Domine, scilicet Tu es, ad quae verba sic ait eleganter Divus Ambrosius, Cui portio est Deus, totius naturae possessor est effectus, videlicet totus quidem cum Domino Dominus, quam sententiam praecclare expedit Sanctus

42. Chroma. Mundi paupertas dat restatem. 43. Psalm. 118. D. Ambr.

Cui Dominus portio omnium Dominus.

Sanctus Pater, Divi Petri exemplo, qui tanquam Dominus natura claudam dat sanitatem, & sic prosequitur Sanctus Doctor: Dixit Petrus quod habeo tibi do: In nomine Jesu Christi surge, & ambula: Ecce Petrus sub Christi nomine, quasi unus Christus, ac omnium Dominus factus, qui natura damna reparabat, quomodo ergo poterat natura damna sentire. Sponte pauper, qui abdicatis omnibus, ejus tantum portio solus est Dominus, cum Domino omnium dominus, locuples totius naturae possessor factus est, & sub Christi nomine, quasi unus Christus.

44. D. Ambr.

Cantic. 5. num. 11. dicitur: Caput ejus, aurum optimum. D. Ambrosius ferm. 15. in Psalm. 111. legit: Caput ejus aurum Cephas. Valde vulgate est, quod Principi Apostolorum impositum est nomen à Christo D. Cephas. Joannis 1. numer. 42. & quia ipse omnia terrena reliquit: Reliquimus omnia, elevatus est, ut esset caput aurum habens claves Caeli: Ad hoc pertinet, quod ait D. Zeno lib. 1. ferm. 4. Vos estis aurum vivum Dei, Christi vos argentum, vos Spiritus Sancti divitiarum, vos si terrena metalla contempseritis, vobis auro constructa aetherea illa civitas, destinata est.

Joan. 1. D. Petrus reliquit terrena, caeli claves habet. D. Zeno.

45. Psalm. 10. D. Chryl. Theod. Euseb.

Psalm. 10. num. 9. dicitur: Oculi Domini in pauperem respiciunt. D. Chryl. ostomus, Theodoretus, Eusebius, ex Bibliis Sixtiani legunt: Oculi Domini in totum orbem respiciunt; ac si pauper, qui Dei amore totum mundum contempserit, totius mundi Dominus, ac possessor, constituatur. Eodem fere modo idem Propheta Psalm. 183. num. 17. ait: Nimis confortatus est Principatus eorum. Theodoretus legit: Nimis corroborati sunt pauperes eorum: Ac si pauperes totius orbis creati sint Principes, D. Augustinus ferm. 28. de verbis Apostoli: Non tibi displiceat paupertas tua, nihil ea potest ditius inveniri. Vis nosse, quam locuples sis, Caelum emit. Quibus thesauris conferri possit, quod videmus paupertati indultum.

Psalm. 83. Theod.

D. August.

QUAESTIO IX.

Quare Divus Petrus ait se non habere argentum, & aurum, cum ad ejus pedes agrorum pretia quoti die à Christianis offerrentur?

46. Aetor. 4.

VT dicitur infra cap. 4. num. 34. quod in illa primitiva Ecclesia: Quoque possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferbant pretia, & ponebant ante pedes Apostolorum, & praecipue ante pedes Petri, utpote, qui erat caput, ac Princeps, quomodo ergo dicit se non habere, quae tam plenè sub sua potestate habeat?

Difficultas quaestio.

47. Bona dividenda juxta intentionem dantis.

Respondetur primo; quia, ut dicitur proxime citato loco: Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat. Illa autem pretia dividebantur inter ipsos baptizatos, ac Christianos; ad hoc enim afferbantur ante Apostolorum pedes; Cumque claudus adhuc non esset Christianus, sed in Iudaismo, ideo ex illa pecunia non erat illi aliquid dandum, & inde rectè, ac verè ait Petrus: argentum & aurum non est mihi ad tibi impendendum, sicut Christus dixit filiis Zebedaei petentibus primas sedes: Non est meum dare vobis; quia illud dandum erat per merita, non affectu sanguinitatis, vel ex alio capite.

48.

Secundo dici potest, quod D. Petrus, alique Apostoli, cum essent occupati in spiritualibus ministeriis, praedicando, baptizando, dando fidei doctrinam, ac documenta, constituerunt alios ministros, qui illa bona dividerent juxta uniuscujus-

Minister non est impeden-

que necessitatem, indeque rectè ait Divus Petrus, quod non habet; nolebat enim in officio aliis commisso se intromittere, vel potuit dicere non habeo, quia non habebat ad manum.

Tertio, alto, & supremo dictamine se habuit D. Petrus in hac respravitit sua eminenti scientia, quod claudus sanatus magna praeconia Christi, ac ipsorum Apostolorum erat acclamaturus; ut patet in fra v. 8. ne ergo testimonium de potentia Christi, ac virtute Apostolorum dandum, inde minuatur, ac debilitate fiat. (nam ab homine munerato, ac obligato laus valde suspecta, ac debilis habetur) Ut ergo proclamatio laudatoria hominis sanati à nemine corrodi possit, ideo D. Petrus abstinuit se ab omni eleemosyna, ut aperte deprehendatur, quod pedes sanati, & miraculum factum proclamant, non vero alicujus temporalitatis affectus. cum nullus praecesserit.

Dicitur Psalm. 67. verf. 26. & 27. Praevenerunt, sicut ut legit D. Hieronymus, Praevenerunt Principes contra psallentibus, in Ecclesia benedicite Deo Domino de fontibus Israel. Quod se anticipaverunt Principes, ut Deum laudarent ob fontes, quos in Israel constituit: Tamen inquirendum est, qui sunt isti Principes, & qui fontes? Apertissime dices, Principes esse capita tribuum filiorum Israel, Praefigurati in duodecim fontibus in deserto ut ait D. Nicarnus lib. de vita Moysis; fontes vero sunt Sacri Apostoli aquae salientes in vitam aeternam. Ita Rufinus, D. August. D. Hilarius, Rupertus, Nolter Incognitus; Tamen in quaestione venit cur ad praeconia sacrorum Apostolorum decantanda non convocantur Christiani primitivae Ecclesiae, qui de saluteris aquis Apostolorum in tot, & tantis beneficiis animae, & corporis hauerant, sed ad hoc Patres veteris Testamenti invitantur: Praevenerunt Principes, qui de aquis Apostolorum non fuerunt participes: Ut inde laus gloriosior, ac excellentior appareret decantata, non ex beneficiis acceptis, sed respectu, ac veneratione meritorum, quae maxime in Sacris Apostolis resplendebant.

Cum Abrahamus victor quique Regum reverteretur, occurrit ei Melchisedech Rex Salem, proferens panem, & vinum, erat enim Sacerdos Dei Altissimi benedixit ei, & ait: Benedictus Abraham Deus excelsus, qui creavit Caelum, & terram: Benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt; dedit ei decimas ex omnibus. Gen. 14. n. 18. 19. 20. multa hic sunt notanda; nam in praesenti videtur totus communis ordo offerendi in Ecclesia inversus, in qua comuniter fidelis devotus sua dona Deo offert, à sacer dote accipit benedictionem, & inde sacrificium pro eo Deo offert: At verò è contra totum hic factum est; nam primo omnium Melchisedech pro Abrahamo offert sacrificium: Praefers panem, & vinum; deinde benedixit ei: Benedictus Abraham Deo excelsus: Tandem decantat ejus laudes. Quo protegente, hostes in manibus tuis sunt: tandem, & ultimo Abraham, Dedit ei decimas ex omnibus. Cur sic invertitur ordo, ut notavit Primasius in capite quinto Epistolae ad Hebraeos, & ait: Benedictio ne accepta dedit ei decimas; quod alta, & suprema Dei providentia dispositum est, ad sublimiorem & illustriorem gloriam Abraham, nequis oblatret totac tanta praeconia à Pontifice proclamata, morcata fuisse decimis datis, ideoque antecederent ejus gloria decantatur: Benedictus Abraham Deo excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt, & postea decimas offerre.

Semper ex donis acceptis gloria laudis enervatur; Hinc Abrahamus devictis quinque regibus, offerenti regi Sodomorum omnia spolia respondit:

H 2 Lova

49.

Extima laus non ab homine obligat.

Gloria salubris quod non est donis acceptis sed ex merito.

51.

Genesi.

Primas.

Suspecta laus ex donis acceptis.

52.